XXXIV.

1584, October 13.

In Christi nomine amen.

Ferrandus de Amatis Imperialis Commissarius Aulae Caesareae Comes Palatinus et Eques auratus etc. universis ac singulis praesentes literas seu publicum hoc priuilegium visuris, lecturis et legi audituris Salutem in eo qui omnium est vera salus. Quamvis ipsa quidem uirtus per se sibimet satis pulcherrima existat merces nec multum Insignia illa prodesse videantur, quibus vulgo Nobiles sese efferre et iactare solent nec non ex iis Nobilitatem suam probare conantur, nisi ipsa Virtute praefulgeant et se dignos vera Nobilitate ostendant: non tamen dubium est, quin omnibus aetatibus populi cum Illustres ac rerum potentes et Respublicae, tum etiam vel ipsi principes non solum imperium, verum etiam monarchiam adepti ijs qui bene se gesserunt ac de Suis et patria praeclare meriti sunt, Nobilitatem illiusque certa Insignia tanquam virtutum characteres et integrae vitae praemia concesserint quibus a caeteris hominibus non secus ac Milites in Castris suis militaribus Symbolis discernerentur, alii itidem proposito sibi illorum exemplo ad similia Virtutum genera allicerentur. Non autem existimandum est, eos solum quondam Nobilitatos et aliis muneribus donatos fuisse qui foris tantum in Belli tumultibus, in procinctu et prima (quod aiunt) acie stantes, hostibus terrori, patriae saluti sibi suisque praesidio fuere: sed etiam et saepenumero illos quoque solida ac vera Nobilitate insignibusque etc. donatos esse qui domi in pace, in otio, in negotio sapientibus consilijs et studijs, alijsque exercitijs salutaribus hominum societati et conseruationi cum magna omnium laude atque emolumento praefuere. Hinc enim egregios olim Iuuenes & fortia pectora Nobilitate eiuscemodi a Romanis ornatos legimus ut domi cum essent Annulos gestarent ferreos in legationibus vero missi aureis etiam induerentur: quo publico Nobilitatis et Ingenuitatis signo reliqui inuitati et inflammati ad sapientiae ac virtutis studium eo alacrius accenderentur. Videamus quaeso Maiorum nostrorum Saecula nec non et Romanum Imperium ipsum, Aulasue principum inspiciamus et inueniemus certe nullis non temporibus Nobilitates, earumque Insignia et alia non tam Militibus quam alijs et sapientiae et virtutis cultoribus collata fuisse ut eiusmodi muneribus in perpetuum cum suis et honeste gaudere et etiam apud alios quoscunque gloriari audacter et libere possint. Inter alias autem Nobilissimas frugiferasque scientias et iucundissimas facultates, quibus Orbis et Urbes omnium maxime ornantur atque etiam nutriuntur, quis Jurisprudentiam principem locum promereri

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

non nouit? cum veluti sicut sine anima corpus, ita sine lege seu Jurisprudentiae usu nulla ciuitas persistere potest: Quod enim tranquille in Orbe vivimus ac Dominia rerum adseruamus id Juri solum Legibusque totum debemus. Illius scilicet Jurisprudentiae certissimo ductu homines licet ratione Belluas superent hominibus tamen quoque praeferuntur ac veluti Solis lumen a caeteris suo lucis candore distinguitur atque praefulget, ita Jurisperitus Justitiae fulgore candens caeteros longe antecellit et suo virtutis splendore merito superat ac Dijs ipsis paene similis redditur. Siquidem Jurisprudentia diuinarum atque humanarum rerum notitia sit, iusti atque iniusti scientia, quae uti Ciuitatis anima est, ita et Civibus vitam foelicem tribuit. Causas rerum conseruandarum exhibet, aequitatem ostendit et docet, animosue hominum impellit ad bene beateque viuendum ac denique ad uerum et summum bonum perducit. Hac enim Jurisprudentia totus vitae humanae conuentus conseruatur et ueluti cives in ciuitate muro, ita universum genus humanum Justitia tanquam propugnaculo suo fortiter ab omni iniquitatis insultu defenditur et inuicem ab iniurijs liberatur adeo ut non tam apte quam vere dixerit Esaias diuinus ille Propheta hoc modo: Et Justitia erit cingulum lumborum eius et Leo et Ouis simul morabuntur. Sed quid multis? Quod tandem diuina et humana non uiolentur id Jurisprudentiae tamquam summo numini adscribere integrum debemus. Haec bonos ad bonum amplectendum propositis praemiis allicit, malos vero ad Malum euitandum poenarum terrore coercet, omnes controuersias dirimit, calamitates hominum expellit. Haec demum summos cum infimis aequa lance ponderat unicuique suum tribuit, et Reipublicae statum sua Justitiae cuspide ab omni discordiae, seditionis, proditionisue macula illaesum conseruat sine qua nullae profecto opes, nullae animi oblectationes gratae iucundaeue esse possunt. Haec omnia et alia similiter innumera pro eo ac debuimus considerantes Nos Ferrandus praedictus cum praeter cetera amplissima priuilegia quibus Inuictissimus piae memoriae Carolus Quartus Romanorum Imperator ac Bohemiae Rex etc. proprio motu et ex certa perpetuoque valitura scientia Joannem de Amatis Consiliarium suum secretum ac de se sacroque Romano Imperio optime meritum universosque ex eo legitime descendentes id est, Nos & Familiam nostram perquam liberaliter donauit, id quoque concessum nobis et sancitum nostro Imperiali diplomate sit, perpetuam nobis esse potestatem non modo legitimandi, adoptandi, emancipandi, manumittendi, veniam aetatis concedendi, natalibus restituendi et complura alia praestandi, verum etiam nobilitandi et nobiles ac nobilissimos faciendi Insigniaque conferendi non secus ac si ipsemet Imperator praesens tribueret, Item et

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tabelliones ac Doctores Comitesque et Capitaneos creandi et id genus multa faciendi, Vt quam latissime publico Imperiali et nostro patet diplomate per eundem Augustissimum Carolum Quartum decreto datoque Pragae Anno Domini Millesimo Trecentesimo sexagesimo tertio, tertio kal. Junij Regnorum eius Anno decimo septimo, Imperii autem octauo Diplomate inque bulla aurea appendente roborato ac vice Maguntinensis Archiepicopi Gerlati [1]) per Germaniam sacri imperij Archicancellarij per Reuerendissimum Joannem Luthomuschlensem Episcopum aulaeque Caesareae Cancellarium subscripto atque completo. Cum igitur ex multorum tam Illustrium quam Nobilium aliorumque Excellentissimorum Praestantissimorumque virorum testimonio nobis efficaciter relatum et nunciatum sit: tum etiam nos ipsi proprijs auribus agnouerimus, quanta vel a pueris morum integritate, quanta Philosophiae simul et Jurisprudentiae cognitione, quam fideliter iam per continuum nouennium et ultra inter alios apud maxime illustrem et Generosum Dnum Oswaldum Trapp, Archiducalis comitatus Tyrolis splendidissimum membrum suo officio ac praeclaro munere functus sit, quanta denique omnium virtutum ac bonarum artium copia Excellens admodum et Egregius D. Gottfridus Fabricius Gangelio Juliacensis Jur. Utr. Doctor amplissime ornatus existat ita ut quemadmodum ab omnibus approbatur, amatur et honoratur, sic etiam aliquo a nobis et eo quidem eminenti atque eximio tantarum eius virtutum praemio decorari meritus sit: Iccirco nos Ferrandus antedictus propensa nostra erga praestantes et excellentes viros beneuolentia ducti, occasione et opportunitate nobis oblata de eodem uiro Eximio non secus ac de virtute ipsa bene merendi deliberato consilio et ex certo proposito moti hunc ipsum admodum Excellentem D. Gotfridum Fabricium Gangelio Juliacensem Jur. Utr. Doctorem et fratrem suum quem unicum sibi tantum habet virtutibus clarum et nobis similiter optime probatum virum Joannem Fabricium Nomine, Martini Fabricii ciuis Gangeltani filios, legitimo Toro natos cum omnibus suis seu eorum legitime descendentibus liberis adoptiuis etiam et legitimatis filiis et heredibus Familiae Fabriciorum nomen habentibus et sibi assciscentibus masculis tam praesentibus quam futuris ex nostra super allegata auctoritate Caesarea praesentium litterarum nostrarum praesentisque publici priuilegii serie in perpetuum Nobilem Nobilesue creamus et Nobiles esse uolumus, non aliter ac si parentibus Maioribusque Nobiles ratione generis progeniti essent Eisdemue et praeterea omnibus ac singulis ex eis descendentibus iam natis vel nascituris in perpetuum (dummodo tamen legitimi nati uel facti

[1]) *So das Original.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sint ac perpetuam sacro Romano Imperio et Caesareae Coronae fidelitatem praestent) omnia et singula verae Nobilitatis Insignia et priuilegia conferimus quae de Jure et de facto per sacram Caesaream Maiestatem Nobilibus personis conferri possint. Dantes etiam eis et eorum descendentibus licentiam et auctoritatem in quibuscunque Aulis et locis tam publicis quam priuatis Insignia infra descripta et depicta pro suis legitimis et proprijs gestandi: Jubentes ipsos et eorum quemlibet gaudere omnibus et quibuscunque priuilegijs, immunitatibus, libertatibus, praeminentijs, honoribus, exemptionibus et praerogatiuis, quibus ubique locorum et Gentium alij Nobiles et Nobilissimi viri a Sacra Caesarea Maiestate Nobilitati tam de Jure quam ex consuetudine perfruuntur; Non obstantibus quibuscunque Legibus, Constitutionibus, Decretis, Ordinibus, Reformationibus, Consuetudinibus et Rescriptis quorumcunque Principum, Comitum, Ciuitatum, Collegiorum uel Universitatum aut etiam aliorum omnium cuiuscunque tenoris existant, quibus nostra auctoritate perpetua a memorato Inuictissimo Imperatore nobis clementer et ex causa concessa derogamus et ad totalem praemissorum effectum derogatum esse uolumus. Insignia vero huiuscemodi Nobilitatis per eos et universos eorum legitime descendentes natos uel legitimatos et adoptatos masculos heredes ac familiae nomen induentes perpetuo ut libet gestanda talia ut et hic infra descripta ac etiam depicta habentur, sunto. Clypeus paene quadratus (ut moris est) esto cum quatuor campis, quibus duo Mallei cum Brachiis dextris et duabus Incudibus includuntur, supra in media parte Clypei cum Galea aperta et corona aurei coloris in vertice eius, e cuius Coronae ventre directo quasi emergit Nigrum Brachium dextrum manu tenens malleum natiui coloris cum Manubrio aurei coloris: Item in radicibus Brachij eiusdem Coronae ab utraque parte exurgit Aquilina Ala: prima scilicet dextra ala ex dextra parte Coronae prosiliens argentei coloris est infra, supra vero nigri. Altera autem Ala sinistra videlicet, ex sinistra parte coronae exultans Rubri vel rubei coloris est infra, supra vero argentei. Galeae tegumentum dextrum existit aurei et nigri coloris, sinistrum uero argentei & rubei seu rubri. Galea autem ipsa natiui coloris apparet, cum aurei coloris circulis in apertura et paene rubei id est obscuri coloris in medio circulorum. Clypei autem campus dexter supremus rubei coloris existit cum Incude ferrei vel natiui coloris in medio. Simili modo apparet et campus inferior sinistri lateris clypei. Campus vero superior sinistri lateris Clypei argentei coloris est cum integro nigro Brachio dextro, manu tenente malleum, cuius mallei manubrium aurei coloris existit, malleus autem ipse nativi coloris cuius et Incudes sunt, elucet eiusdem coloris, cuius

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

et proxime praecedens Campus inferior dextrae partis Clypei cum Brachio ibidem nigro dextro et malleo natiui cum manubrio aurei coloris extat. Aduertendum etiam quod fimbriae manicarum Brachiorum aureo itidem colore cum aliquibus nodis eiusdem coloris infra uel subter depictis splendeant. Quae Insignia ita descripta vel depicta Vos et legitimi progenitores [1]) vestri tam nati quam nascituri ac legitimati in perpetuum ex nostra nobis data Imperiali potestate vobis et in hac parte legitime tributa ut ueri et sacri Romani Imperij nobiles ubique locorum perpetuo gestare et deferre libere ac liberrime potestis modo quo supra nec etiam obstantibus ullis de quibus supra etc. Praeterea idem Nos Ferrandus de Amatis supra dictus ex certa et integra notitia moti, volumus et concedimus (plena itidem Imperiali potestate tribuendi aliis et in hoc puncto sicuti in omnibus supra tactis nobis benigniter concessa) volumus inquam et concedimus admodum excellenti Dno *Gotfrido Fabricio* Jur. utr. doctori tantum, ut is notarios publicos seu Tabelliones et Judices Ordinarios aptos tamen viros ubicunque locorum posset faciatque ac si a nobismet ipsis creati essent et facti, qui possint conficere ubicunque scripturas publicas & instrumenta ac etiam universa et singula officia publica tanquam legitimi legitime exercere, quae illis et cuilibet ipsorum ex debito dictorum officiorum fienda occurrerint, omnibus tamen consuetis in creatione eorum et debitis solemnitatibus adhibitis, recepto ab eis primitus de fidelitate Romano Imperio praestanda sacramento. Ad quorum omnium ac singulorum plenam et indubitatam fidem Testimoniumve postquam dictus Excellentissimus vir solemni Juramento perpetuam fidelitatem pro se et suis sacro Romano Imperio et Caesareae Coronae pollicitus est, nihil unquam a se vel a suis commissum iri quod sit contra eiusdem sacri Imperij dignitatem quodue huiuscemodi nobilitate ac muneribus donatum dedeceat has nostras patentes literas seu publicum priuilegium per Cortesium Cortesium Ciuem et Tabellionem Patauinum ac Cancellarium nostrum fieri et etiam nobiscum subscribi nostrique quo in similibus utimur sigilli appensione communiri mandavimus. Actum et datum Paduae ex aedibus nostris sitis in burgo sanctae crucis Anno reparatae salutis Millesimo quingentesimo octuagesimo quarto Indictione duodecima die Sabbati, decimo tertio die Octobris praesentibus ibidem ac se subscribentibus Reuer^{do} et Excell^{mo} Dno Jacobo Erlachero sacrae Theologiae Doctore et Canonico Brixinae Tyrolensi et Ill^{ri} ac Generoso Dno Jacobo de Gromis Equite Caesarea Paedemontano, et Ill^{ri} generoso Dno Carolo Trapp Domino in Bisein et Gurburg etc.

---

[1]) *So das Original.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

itidem Tyrolensi et ill^ri^ ac generoso Dno Jacobo Breiner, Libero Barone in Stubing Fladnitz et Rabenstain Styriaco et admodum Nobili et Mag^co^ Dno Camillo Zabarella Paduano ac Nobili et Excell^mo^ Dno Nicolao Balduino Jur. utr. Doctore Comiteque Palatino et Equite, Tridentino et excell^mo^ Dno Joachimo Alramer Philosophiae et Medicinae Doctore eximio Viennensi Austriaco, et Nobili Dno Petro Broich in Wertzhoff, Juliacensi Necnon praeclaro admodum Dno Joanne Pastorio patricio Aquensi Juris Candidato et Jacobi Pastorii Senatoris ac Scabini Aquisgranensis filio, et egregio Dno Joanne Slotano Medicinae studioso Coloniensi, et alijs quam plurimis nobilissimis viris in frequenti copia Testibus ad praemissa vocatis et adhibitis. Laus deo.

Das in dem Diplome gezeichnete Wappen hat die Unterschrift: Swartzs gelb Rodt vnnd weiss
Ist guett Kaisers, Gulichs vnd Ostreichs.

Unterzeichnet haben:

Ferrandus de Amatis.
Jacobus antonius de gromis presens fuit.
Ego Jacobus Erlacherus SS^ac^. Theologiae doctor et Can. Brixinae fui praesens.
Ego Carolus Trapp praesens fui et manu propria subscripsi.
Ego Jacobus Breinner Baro etc. interfui.
Ego Camillus Zabarella qui supra etc.
Ego Nicolaus Balduinus I. U. D. qui supra etc.
Joachimus Alramer Philosophiae et Med. Doct
Ego Petrus Broich interfui.
Sic est Johannes Pastorius Aquensis qui supra.
Ita est Joannes Slotanus Coloniensis manu propria.
Qui supra Cortesius Cortesius tabellio pub^s^ Pat^s^ supradictique Ill^s^ com^s^ canc^rius^ praemissis interfuit et die xiij dicti mensis manu propria subscribens roboravi . . . [1]) L. D.

Das Original wurde mir in diesem Jahre in Aachen geschenkt. Vermuthlich gehörte es zum Nachlasse des dort verstorbenen Fräuleins Ernestine v. Fabricius, welche in meiner Jugendzeit das Landhaus „Die rothe Erde", wo sich damals noch keine industriellen Anlagen befanden, besass, und dort mit ihrem Vater, dem verstorbenen Hofrathe v. Fabricius, und ihrer Mutter, einer geborenen v. Gruben, wohnte.

---

[1]) *Unverständliche Abkürzungen.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf